

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Bellum ac
cum fonte primo

Non enim tantum celerius sed et iam perfectius
imbuuntur que discuntur a pueris.
Deinde militaris alacritas, saltus et cursus ante
temptandus est quam corpus estate pigrescat.
Velocitas enim est que percepto exercicio
strenuum efficit bellatorem.

Nam taliter instituto pugnare
aduersus quoslibet hostes in acie formido
non erit sed uoluptas.

Ibidem (Vegecius de re militari libro I.) capitulo
III.

Et quidem, si antiqua consuetudo servanda est,
incipientem pubertatem ad dilectum cogendam
nullus ignorat;

non enim tantum celerius sed etiam perfectius
imbibuntur quae discuntur a pueris.

Deinde militaris alacritas, saltus et cursus ante
temptandus est quam corpus aetate pigrescat;
velocitas enim est quae percepto exercitio
strenuum efficit bellatorem.

Adulescentes legendi sunt, sicut ait Sallustius;
nam ‘simul ac iuventus belli patiens erat
in castris per laborem usum militiae discebant’.
Melius enim est ut exercitatus iuvenis causetur
aetatem nondum advenisse pugnandi
quam doleat praeterisse.

Habeat etiam spatium universa discendi;
neque enim parva aut levis ars videtur armorum,
sive equitem sive peditem sagittarium velis
imbuere sive scutatum,
armaturae numeros omnes omnesque gestus
docere, ne locum deserat, ne ordines turbet,
ut missile et destinato ictu
et magnis viribus iaciatur, ut fossam ducere,
sudes scienter figere noverit, tractare scutum
et obliquis ictibus venientia tela deflectere,
plagam prudenter vitare, audacter inferre.
Huic taliter instituto tironi pugnare
adversus quoslibet hostes in acie formido
non erit sed voluptas.

Publius Flavius Vegetius Renatus, *Epitoma rei*
militaris, 1.4.1-9 (M.D. Reeve ed., pp.8-9, ll.21-
23, 1-20).